

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

## VESPERAE ET NOCTIS EFFICACIA,

IN MUTANDO MORBORUM DECURSU.

Quam

Consensu et Auctoritate

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI  
DOMINI ·

PRAESIDIS AC DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,

nec non

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

pro

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME

CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

publicae disquisitioni submittit

*Philippus Schuster,*

Moravus Nicolaburgensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die Decembris 1830.

---

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Morbi autem omnes in omnibus quidem temporibus sunt, nonnulli autem  
in quibusdam ipsorum, magis et sunt et exacerbantur.

Hippocr. Sect. III. Aph. 49.



**CELEBERRIMO ET DOCTISSIMO**

**DOMINO DOMINO**

**JOAN. N. NOBILI A RAIMANN,**

**SUAE SACR. CAES. REG. APOST. MAJESTATIS ARCHIATRO; AD INCLYTUM REGIMEN AUSTRIAE INFERIORIS A CONSILIIS; NOSOCOMII UNIVERSALIS ET BREPHOTROPHEI DIRECTORI, PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE ET THERAPIAE SPECIALIS IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORI P. O. OPTIME EMERITO; ACADEMIAE JOSEPHINAE MEDICO - CHIRURGICAE, SOCIETATIS PHYSICO - MEDICAE DRESDENSIS, PHILOSOPHICO - MEDICAE WÜRCEBURGENSIS, - MEDICO - CHIRURGICAE BEROLINENSIS SODALI HONORARIO, ETC. ETC.**

**IN PIAE VENERATIONIS ET GRATITUDINIS  
TESSERAM**

**Devinctissimus Discipulus.**

---

§. 1.

**E**t si verendum sit, ne operae pretium haud facturus esse videar, dum illum pathologiae ramum de vespertina et nocturna morborum exacerbatione denuo repetendum et nova indagazione dignum esse censeo, in quo scilicet illustrando nullo tempore virorum acutissimorum ingenia non desudarunt, successu haud exoptato; eandem tamen quaestionem tam gravem et ad intelligenda vitae tum sanae, tum aegrotae phaenomena adeo necessariam esse existimo, ut etiam, qui id ipsum experiatur, quod se assequi posse diffidat, nisi laudandus, certe excusandus hoc loco esse videatur.

§. 2.

Etenim quantumvis magna sit quaestionis illius enodandae et periodicae in universum virium actionis per totam naturam obviae pervidendae difficultas, eadem tamen detereri inhonestum, et literis perniciosissimum est, quoniam indefessa rerum absconditarum et a sensuum consuetudine remotiorum per-

scrutatione ingenium acuitur, et ad hujusmodi quaestiones instituendas egregie conformatur; praeterea hypotheses optime aestimantur, explicandae rerum varietati plerumque impares deprehensae, quo deinde novae veritatis inveniendae viae aperiuntur. Maxime igitur improbandam et generi humano indignam esse opinor eorum rationem, qui, quemadmodum a *Brendelio* 1) factum esse legimus, hujus loci difficultatem non tollere, sed devitare potius student, et quidquid est in rerum natura obscuritatis id omne ad divini numinis voluntatem potestatemque referunt, quamvis non negem, hujusmodi argumentationis ad omne explicationis genus insignem commoditatem esse.

### §. 3.

Inter antiquissimae aetatis medicos quemadmodum omnino observationis assiduitas et veritas maxima erat, ita eorum quoque phaenomenorum animadversio accuratior, quam seriori tempore, quae modificata quadam et regulis circumscripta continuatione animum offendunt. Observatione et obscuro magis veritatis sensu ducti, quam rationum pondere

---

1) *Brendelii* opera omnia Tom. I., p. 195. „Periodorum causae latent in illo virium vitalium adyto, quas, ut suis motus legibus ita periodico quodam principio instruxisse creator videtur.

et cognitionis perspicacia convicti, deinde vero philosophiae praeceptis eo tempore mere cosmologicis plerumque imbuti statuerunt, eorum phaenomenorum accuratam esse cum totius terrarum orbis coelique motibus convenientiam, eaque his maximam partem inchoari et absolvi. Verum jam tum factum est, ut insatiabili rerum penitus pervidentium cupidate decepti opinionum commentis erroribusque implicarentur. Etenim sagas *Galenus* priorum medicorum superstitionem deridet, qua in regendo morborum decursu, crisiisque ratione, quas ceterum constat admirabili eos diligentia observasse, vergiliis et Arcto, septemfluo Nilo, septemque Thebarum portis peculiarem vim inesse conjectabant.

#### §. 4.

Nescio, an melius consultum fuerit literis medicis eorum opera, qui nunc ex viscerum hypochondriacorum labe 1), nunc ex atrae bilis et pituitae abundantia atque corruptione 2), nunc e vermium intestinalium motibus omnem periodorum causam derivare

---

1) *Diss. de indole morborum periodicorum ex labe viscerum hypochondriacorum derivanda auct. M. G. Neufville. Götting. 1784.*

2) *Medicus Geschichte Periode haltender Krankheiten. Carlsruhe 1764.*

studuerunt, quae quidem omnia perversis physiologiae principiis superstructa, nequaquam experientiae testimonio confirmantur, et, quod gravissimum est, veram et communem omnium phaenomenorum periodicorum legem, per universam naturam haud dubie eandem obscurant potius, quam illustrant.

### §. 5.

Disciplinae *Brunonianae* asseclae et commentatores non sine aliquo fastidio et improperi successus praesagitatione poterant huic physiologiae loco operam navare, quippe quem veterum pariter atque recentiorum medicorum suffragiis confirmatum, sed scholae suae praeceptis non solum ineptum, verum repugnantem adeo conspiciebant, quoniam, qui non nisi stimulorum extrinsecus agentium modo et numero omnem vitam gigni alique opinatur 1) hanc ejus proprietatem, de qua nunc sermo est, legibus certis definitam et quodammodo ab omni rerum externarum potestate liberam nullo pacto assequetur.

### §. 6.

Meliora sperare jubent recentissimae scholae physiologi et pathologi, quorum nonnulli periodicae functionum vicissitudinis

---

1) *J. Brown's System der Heilkunde*, pag. 215. §. 326.

causam accuratius explanare adlaborarunt, in quibus cl. meus Professor *Ph. C. Hartmann* aeterna memoria dignus et *Troxlerus* eminent.

§. 7. .

Ut autem dissertatiuncula tenellis conscripta viribus objectum suum ex omni parte dilucidari possit duplex disputatio necessaria erit, altera physiologiae principiis fultita, altera e pathologiae praeceptis et morborum observatione repetita; haec singulos morbos ennarabit vesperae noctisque efficaciae subjectos, illa harum potestatum causam explicabit; quam minus vellem cum *Troxlero* solius organismi finibus contineri, et duplicem potius esse dixerim, alteram in eo ipso latitantem, alteram naturae externae perpetuo in eum vim suam exserenti tribuendam.

---

## C a p u t I

Vitae diurnae nocturnaeque ratio atque causae universim exponuntur.

§. 8.

Est hoc unum e gravissimis physiologiae hodiernae decretis, recentiorum physico-rum probabili argumentatione demonstra-



tum, et summis ipsius philosophiae principiis pariter superstructum atque experientia declaratum: per omnem rerum universitatem observari continuam elementorum et virium ἀντιθέσιν, ac mutua earum inter se contentione atque oppugnatione totius naturae integritatem conservari. Nam quae philosophorum scholas adhuc exercuit libertatis atque necessitatis, idearum rerumque sensibus subjectarum et reliquorum omnium, quae in philosophia ut opposita distinguuntur, invicem conciliandorum difficultas, physicorum quoque studiis enodanda venit, quatenus, ut rationis jussui obtemperetur, summa et infinita phaenomenorum varietas, polaritatis, quam dicunt, et galvanicae maxime actionis legibus 1), ut videtur, genita, ex uno eodemque fonte derivanda, quantumque licet, hujus principii continuam phaenomenorum varietatem efficientis ratio explicanda est.

### §. 9.

Hac itaque ἀντιθέσει, per universam naturam obvia, praeclare confirmatur humani

---

1) *Bouterweck*, Anleitung zur Philosophie der Naturwissenschaften, 1803. Pag. 78. sqq.

*Autenrieth*, Physiologie III., pag. 121., 178. sqq.

*Reil's Arch. f. Phys.* VII. 1., pag. 1 — 139. VII. 2., p. 189. sqq. VIII. 3.

organismi exemplo. Vitam enim organismi particularis vivi et singularum illius partium non per unicam sed per actionem et reactionem virium oppositarum poni et conservari ex sequentibus adparebit. Processum vitalem et omnes illius actiones considerantes inveniemus, quod in omni actione et effectu factores adsint sibi oppositi, sic in vita humana distinguimus vitam plasticam et animalem, in hac discernimus motum cellularem, irritabilem et sensibilem. Si motum cellularem porro indagamus, tum animadvertimus perpetuum contractionis nisum et ne nimis contrahatur nisum expansivum. Alia vitae forma est irritabilis, ubi quoque motus expansivus contractioni opponitur. In vita tandem sensifera motui nervorum radianti principium isolans opponitur. Ut igitur in omni vitae animalis specie nisus et renisus animadvertetur,

### §. 10.

Eadem ratione qua in vita animali duo principia cognoscuntur sibi opposita, ita et in vita plastica. Incipit enim formatio quaevis organica cum ipsa digestionem, chymificationem etc. tandem cum ipsa transmutatione lymphae coagulabilis in formam solidam. Pari passu praeter hanc praevaletentem contractionis nisum in formandis et formatis viget

in eodem processu nisus oppositus, qui efficit ut solida in fluida et in vaporosa mutantur. Ipsa forma primitiva sub qua organica formantur, oppositos factores — attractivum et repulsivum — prodit. Si organica ex deformi fluido in formam organicam transeunt, in uno polo sub forma globulorum adparent qua phaenomenon attractivi, in altero polo sub forma fibrae, qua signum factoris expansivi, et in medio tamquam puncto exaequationis sub forma cellulae. Occurrit igitur in omni corpore animali duplex nisus sibi oppositus.

### §. II.

Jam vero, quemadmodum per universam naturam haec confirmata reperitur lex, singulas vires sibi invicem oppositas ita inter se junctas esse, ut e mutua earum contentione altera superior discedat altera, earumque vigorem, quippe suis circumscriptum limitibus, non esse semper aequabilem atque tam strenuum, ut nulla ejus dispendium requiescendi opportunitate indigeret, ita eundem quoque ordinem per singulas deorsum animantium classes et intra humani quoque organismi fines servari intelligimus et vitae superioris atque inferioris rationem ita alternantem, ut altera imminuta praevaleret altera, hac vero exhausta praeponderet

illa. Ita quo arctioribus functiones animales, sivi sensiferas, coëceri finibus videmus, eo lactius vigent, quae nutritioni et reproductioni universae inserviunt organa; ut in zoophytis, molluscis, et amphibiis insignis ac fere admirabilis est nutriendi corporis partiumque laesarum denuo regenerandarum facultas; cum contra, quibus superior vita constituitur, organa eadem facultate parum instruantur. Hinc etiam, qui perpetua occupantur ingenii agitatione, sive perturbatione magis, quam consilio reguntur, conficiuntur sensim atque contabescunt quasi, dum, qui, fruges consumere nati, corpori magis serviunt, nulla animi virtute et robore excellent.

## §. 12.

Periodicae virium intentionis atque remissionis legem, ad tuendam aliquamearum aequabilitatem ineluctabilem, et, ut supra monuimus, per universam naturam dominantem, egregie vero etiam actionis galvanicae exemplo illustratam *Rittero* 1) iudice, eadem otii et laboris vicissitudine conspicuae, vigilia-

---

1) Beyträge etc. II. 3. 4. St. p. 349. „Die Action der galvanischen Kette oder besser der Voltaischen Säule steigt in 24 Stunden einmal von einem Minimum zu einem Maximum, und kommt von ihm zur ersten zurück. Ihr Maximum fällt in die Nacht, ihr Minimum aber in den Tag.“

rum quoque atque somni sese invicem excipientium esse causam opinamur, quam nisi penitus perspectam, certe ingeniosius, quam a reliquis omnibus investigatam, arbitror a *Troxlero* 1), duplicem organismi partem distinguente, fere eodem modo, quo id a *Reinholdo* et *Bichato* factum fuit, alteram sensibilitatis et intellectus effectricem, alteram assimilationis et egestionis, quam dicit, administram, et inde duplicis etiam formae (diurnae et nocturnae) necessitatem derivante, qua sese vita organica exserat et cujus vicissitudine haec ipsa conservatur.

### §. 13.

Scilicet cum per omnem rerum universitatem nulla vis sine materiae adventu efficaciam suam prodere nulla materia actionis experta constare sibi possit, inferioris quoque vitae et superioris ea est affinitas et similitudo, ut, quantumvis praevaleat altera virium vigore, altera materiae volumine et modo, tamen neque superior materiae adjumento careat, neque inferior viribus suis. Jam vero ex utriusque vitae antagonismo superius (§. 11.) exposito apparet, reproductionis instrumenta, quippe debilitata periodico vitae sensi-

---

1) Kreislauf des thier. Lebens unter Wachen u. Schlafen. (Versuche einer organischen Physik 1804, pag. 435.)

fere augmento, sed maxime necessaria, ut vidimus, ad ejusdem integritatem tuendam, sensim sensimque inepta reddi debere ad munera etiam superiori vitae praestanda, nisi haec ipsa subinde hac via adeo iminuere-  
tur, ut, facta utriusque vitae conversione, inferior, nunc virium recuperandarum oportunitatem nacta, denuo augescere posset.

#### §. 14.

Eaque mihi non tam vigiliarum atque somni, scilicet nequaquam sola tantum hac ratione habita explicandi, quam potius diurnae nocturnaeque vitae in universum videtur causa esse, vereorque, ne plura animalium phaenomena, a noctis efficientia repetenda, pro somni effectu habita fuerint ab observatoribus, eaque causa sit summi in describenda dormientis imagine singulorum dissensus. Quae enim noctu observatur vitae comutatio nullo etiam somno interveniente, et soporis ipsius cum nocturno tempore convenientia, nequaquam fortuita et ad consuetudinem referenda 1), deinde pathologica permulta, cap. sq. fusius exponenda, aperte ostendunt, eam esse utriusque vitae legem et rationem, ut, quae superio-

---

1) *Winkelmann's Entwurf der dynamischen Patogenie*, I. B., pag. 60. Braunschweig 1805.

rem constituunt functiones, nocturno tempore quiescant, reliquae, quibus inferior absolvitur, diurno diminuantur.

### §. 15.

Plantarum totiusque regni vegetabilis incrementa nocturno tempore mirifice sustentari et ali quotidiana experientia et ipso oculorum testimonio declaratur; dum enim diurno tempore exhauriuntur earum vires, nocturno reficiuntur, et humores atque oxygenium vi lucis copiosius excreti 1), nunc in ipsum earum usum convertuntur, quod vel per earum habitum suspicari licet, prima luce longe praestantior, vespere languescentem; ceterum eo non negatur, lucem ad plantarum incolumitatem esse maxime necessariam.

### §. 16.

Pari fere ratione res se habet in animalibus, in quibus vita vegetativa conjuncta et quasi substrata animali reperitur. Argumentis id imprimis confirmatur ex morborum historia repetendis et infra examinandis; nam sano homini; nec externis injuriis offenso, per noctem sopor adeo respondet,

---

1) *Ebermaier*, Versuch einer Geschichte des Lichts, 1810.  
§. 64.

ut difficillimum sit utriusque efficaciam, somni nimirum atque noctis discernere. Nihilominus tamen huc faciunt phaenomena nonnulla etiam absque somno noctu observanda 1), e quibus monuisse sufficiat acceleratum sanguinis circuitum et auctam inde pulsum frequentiam, in quovis homine ad vesperam accedentem 2), vasorum porro lymphaticorum et reliquorum nutrioni proxime inservientium vim eodem tempore magnopere excitatam; unde illustrantur *Frankii* junioris 3) verba, Petropolin narrantis, etsi circumdatum locis palludosis, febribus intermittentibus tamen raro tantummodo infestari, et recto id aestiva noctium brevitate, seu potius absentia explicantis, quibus nimirum aliunde constat non harum febrium miasma solum, sed et omnia contagia difficiliter devitari. Sic etiam uteri contractiones ad noctem plerumque augeri partusque plurimos eodem tempore absolvi observatum est. Idem demonstrabit cap. seq. morborum,

---

1) *Troxler* pag. 469. „So wie am Abende die Function des Intellectual-Systems erliegt, so erhebt sich das ihr affuiste Glied der tiefern Sphäre, die Circulation und die verketteten Functionen dieser Reihe, Digestion und Respiration.

2) *Reil's* Arch. f. Phys. I. p. 154: Ejusdem Fieberlehre. I. §. 96.

3) *Jos. Frank* praxeos med. univ. praecepta Lips. 1811. P. 1. V. 1. pag. 24. seq.



qui phthisici dicuntur, omnium exacerbatio, profecta ex vasorum reproductioni inservientium actione concitatione. Denique etiam gangliosi systematis inferiori vitae dicati eandem esse rationem partim ex aucta secretione et excretionem ceterisque hujus generis functionibus elucescit, in quibus absolvendis primarias hi nervi partes agunt, partim e nocturno eorum morborum incremento, qui gangliis peculiare sunt.

### §. 17.

Contra vitae superioris functiones nocturno tempore etiam nulla somni habitatione hebetatas, diurno vero acutiores conspici, tum suus quemque sensus docet, tum ab observatoribus relatum legitur 1). Eisdemque legi hujus vitae aegritudines subditas esse et furorem v. c., maniam, ceterasque hujus ordinis per diem vehementius exasperari observationes demonstrant in nosocomiis insanorum publicis factae, qui solent somno plerumque sopiti quiescere noctu, sed diurna luce excitati multo graviores tumultos movent 2). Ceterum ob causas

---

1) *E. Horn* über die Wirkungen des Lichts etc. Königsb. 1799.

2) *Testa* über period. Veränderungen in menschl. Körper übersetzt. Leipz. 1790. „Den meisten Einfluss hat das Licht auf die Nerven oder auf das in ihnen wohnende Princip.“

supra commemoratas (§. 15 et 16) ex libera hominis natura ortas virium physicarum potestas atque hinc symptomatum constantia ac periodica phaenomenorum ratio, alioquin certis legibus adstricta, magnopere hoc loco perturbetur necesse est.

### §. 18.

Vidimus medicorum de nocturna animalium vita observationes a plerisque fuisse ex sola luminis solaris efficientia explicatas, praeter antiquiores nonnullos recte aliquam suspicatos vim corporum coelestium absconditam, sed plerumque superstitiose cogitatum. Soli autem atque lunae plurimam inesse vim in commutanda actionum organicarum indole atque modo, omisso radiorum lucis inde ad nos commeantium impetu, et ex intimo tantum nexu comprehendendam, quo sidera cuncta inter se et nostra quoque terra cum ceteris continetur, praeter ipsum *Hippocratem* 1) nuperrime *Werlhofius*, *Mead*, *Au-*

---

Krankheiten, wobei die Nerven leiden, greifen daher die Patienten am heftigsten an, wenn das Licht auf sie wirkt. Diess ist vorzüglich bei Wahnsinnigen und Wasserscheuen der Fall; denn auf diese macht allemal das Licht einen ausserordentlich widrigen Eindruck, und ihre Krankheit verursacht ihnen mit Tagesanbruch die unerträglichsten Leiden." p. 317.

1) De aëre, aquis et locis p. 71 ed. Foesii.

*tenriethius, Reilius* 1), cl. *Hartmannus* et ii potissimum medici demonstrarunt, qui in terris calidioribus et tropicis, quas dicunt, medicinam exercuere, *Rob Jackson, Balfour* 2), *Gillespie, Lind*.

§. 19.

Recte hinc *Meadius* suspicatur, suas quoque sortitos esse vires et ceteros planc-tas, qui quamvis solis lunaeque actionem non aequent, conspirant tamen variis modis ad horum in nostra corpora potentiam augendam minuendamve, ut non possit dubitari, his quandoque acceptam deberi subitam et occultam morborum vim, qui gentibus universis ingruunt; et conjicit, nil aliud esse *Hippocratis* θεῶν τι, cujus in morbis rationem habere jubet, quam rerum externarum et corporis nostri statum ab astrorum imperio pendentem. Itaque cum mutuum esse astrorum, praecipue solis, lunae atque terrae commercium, tum astronomia, tum accurata vitae non solum sanae sed etiam aegrotae observatione confirmetur, deinde summa in corpora animalia sit efficientia noctis, quam et ipsam constat aliqua rationis solem terramque intercedentis commutatio-

---

1) *Archo. f. Physiol.* 1. B. 1. St. §. 20.

2) *Ueber d. faulen, nachlassenden Intestinalleiber und den Sonnen- und Mond-Einfluss auf dieses.* A. d. Engl. 1792.

ne fieri, certissimum videtur, non sufficere ad perpendendam rite noctis vim et in aegritudines efficaciam meram lucis deficientis aestimationem, sed multum esse, ne dicam plus etiam, quam lumini, arctissimo terrae cum sole tamquam centro suo nexui tribuendum.

### §. 20.

Qui quidem nexus qualis sit, fateor, non posse pro hodierno literarum physicarum modo certo satis definiri, etsi recentissimae scholae physiologi spem aliquam suppeditent. Etenim cl. *Hartmannus* de illo in sua Pathologia generali agit „Non minoribus difficultatibus premimur, dum quid planetae, ad systema solare nostrum pertinentes, in terram ejusque incolas vivos valeant, quid et quomodo ad morborum generationem mutandumque eorum decursum contribuant explicare conamur; quamvis inficias ire non possumus, inter haec corpora, unius systematis membra, nisum et renissum perpetuum, cumque pro varia illorum positione varium obtinere.

### §. 21.

Igitur si per universam naturam continuam lucis et gravitatis sibi invicem oppositae contentionem et mutuam oppugnationem

statuas, ac singula phoenomena huic legi, tamquam physices summae, subdita esse, similemque rationem etiam solem terramque intercedere contendas, facile est inde colligere, superiorem vitam, scilicet luci conjunctissimam, cum sole, ut communi luminis et principii quod vitali in expansionem nisui praeest fonte, arctiori necessitudinis vinculo necti, atque hinc diurnam ejus virtutem pendere, quam contra, facta telluris conversione, et aversa nunc a sole ea parte, quae modo huic fuerat proxima, languere et superari vita vegetativa conspicimus.

#### §. 22.

Liceat addere, sicuti omnes naturae leges non ita comparatae sunt et inviolatae, ut nulla supersit earum per alias restringendarum opportunitas, ita eundem quoque, quem modo nocturni morborum decursus stabilivimus, ordinem multis modis, stimulorum praeter naturalium v. c. vi, deinde consuetudine, hominum usu atque arbitrato, et quae sunt reliqua violari posse; deinde nonnulla superesse argumenti nostri recte aestimandi momenta, expl. grat.; caloris decrementum, aëris atmosphaerici humiditatem, aegrotantibus vespere et noctu non parum infestam et alia partim cap. sq. in exponendis morbis singulis commemoranda, partim lectori benevolo plu-

ra concupiscenti, per opera ad finem adnexa, suppetidanda.

---

## C a p u t II.

Singuli morbi noctis efficaciae subjecti enarrantur.

### §. 23.

Ab antiquissimis inde temporibus, quemadmodum ad periodicum morborum decursum, typum vulgo vocatum, animum ad verterunt diligenter medici, ita vespertinae et nocturnae imprimis exacerbationis bene memores tum ipsi tum vero etiam aegrotantes fuere. Inclinato enim ad vesperam die eorum quoque statum in pejus inclinari, et incrementibus umbris increescere sub inde dolores et angores, et maxime proximam semper noctem, dies criticos praecedentem, molestissimam esse *Hippocrates* 1) jam pluribus locis monuit, eamque vesperae et noctis incommoditatem, comparatis inter se quatuor anni ac diei temporibus, auctumni hyemisque acerbitati respondere contendit. Sed non sanitati solum, sed ipsi adeo vitae nullam esse diei partem magis infestam et ini-

---

1) Lib. II. Epid. Sect. I. pag. 685. Edit. Linden. Lib. VI. Epid. Sect. I. pag. 797.

micam, ac ipsam noctem, qua funesta mortis hora plerumque ruit, inter omnes constat.

#### §. 24.

Ilaec vero ipsa comparatio inter longum annum et brevem diem, minimae profecto petita est ex clamosis tinnulorum declamatorum cathedris, aut ingeniosis denique poetarum versu sonoro saepius luxuriantium figmentis, sed ab ipso *Hippocrate* instituta, medicorum quoque recentiorum experientia et observatione quotidiana confirmatur.

#### §. 25.

Lucanus jam autumnum languidum, pallidum, tabidum, morbosum, periculosum, pestiferum, Juvenal letiferum vocat; et *C. Celsus* de illo agit: „Autumnus est longe periculosissimus. Ex tempestatibus vero optimae aequales sunt, sive frigidae, sive calidae; pessimae quae maxime variant. Quo fit ut autumnus plurimos opprimat. Nam fere meridianis temporibus calor; nocturnis atque matutinis simulque vespertinis, frigus. Corpus ergo, et aestate et sub inde meridianis caloribus relaxatum, subito frigori excipitur atque morbo traditur.”

## §. 26.

Par autem fere est ratio agit *Coelius Aurelianus* 1) aëris vespertini et autumnalis, ac par indequoque effectus, ob subitam scilicet utriusque mutationem ac varietatem. Senescente enim diei luce, et sole jamjam cadente, senescunt quoque simul aegrorum vires jam lanquentes et sensim cadunt. Inclinato in vesperam die, ipsorum quoque status in pejus inclinatur et increscentibus umbris, increscunt quoque subinde dolores et angores, adeo ut illi tum fiant exquietis, inquieti, ex taciturnis, queruli, ex libere respirantibus, anhelantes ac suspiriosi, ex benemoratis, male morosi, sui que displicentia intus vexati, exterius etiam ipsi vexent circumstantes, aut assidentes et sollicitam curam ipsorum gerentes. Quae omnia per integram noctem intempestam, magis aucta et exasperata, ita perdurant, usque ad ipsius noctis meridiem, donec decrescentibus sensim umbris, decrescant quoque ipsi dolores, querelae et anxietudines.

## §. 27.

Eas aegrorum molestias ex aëre tantum repetendas esse, sole occaso magnopere mu-

---

1) Lib. III. de Morb. Chron. cap. 6. pag. 463.

Lib. V. cap. 10. pag. 583. et sqq.



tato et aliam veluti naturam induente sic, ut ex sereno, tepido, levi, sicco et puro tum fiat frigidus, gravis, humidus et impurus graviusque adficiat nervos aegrorum, insensibilem perspirationem reprimat, cutisque spiracula arctius occludat, quo nocivis effluviis per ea excernendis liber facilisque exitus denegetur, inter veteres medicos nemo non putavit.

### §. 28.

Nos, ut supra ostendimus, non ad has externas modo causas in illustranda temporis nocturni efficacitate, attendendum esse censemus, sed primariam aliquam latere in intima ipsius organismi oeconomia vidimus, sustentatam illam et, quantum ad temporis modum, moderatam naturae externae intercessione et quotidiana nominatim telluris in orbem motu; deinde non ad omnes omnino morbos, sed inferioris modo vitae aegritudines pertinere noctis malignitatem tum physiologiae praeceptis tum experientiae convenienter statuimus, salutiferam somni vim praetereuntes, ut a nostra quaestione alienam, quatenus somnus in sano tantummodo sanus, per ipsam morbi violentiam sive nullus sive non naturalis esse potest. Verum esse ejus non tam ad mitigandum morborum furorem, quam potius ad resarciendum virium

jacturam insignem virtutem, quis est, qui non intelligat et in se ipso expertus fuerit?

§. 29.

Igitur vitae inferioris morbos hic proxime considerantes tria earum genera potissimum pertractabimus, primum quod gangliosi nervorum systematis aegrotationes comprehendit, alterum, quod vasorum morbos complectitur, tertium denique, quod vitia organica stricte sic dicta continet, quae capillarium vasorum et lymphaticorum universe vitiositate nituntur, e quibus tamen per se patet excipienda esse, quae quemadmodum plerumque temporis diurnitate fit, et in tumoribus cisticis, vomicis opertis aliisque videre licet, vitam quasi sejunctam degunt et, extra organismi limites posita, vix ullo amplius necessitudinis vinculo cum reliquis ejusdem partibus connectuntur, atque hinc etiam parum ejus computationes atque vicissitudines possunt participare. Huc referantur necesse est morbi topici ab omni febris suspicioni liberi, quibus singulae tantummodo organismi partes occupantur, reliquis nullam aut certe notabilem non perpressionem expertis.

## §. 30.

Agmen ducant ii morbi, quibus gangliosum nervorum systema infestatur, et quorum, quod gravissimum est, nonnulli sunt, non nisi tempore nocturno obvii. Dico noctambulismum (hypnobatesis) et incubum, quorum iste gangliosi systematis super reliquis nervis imperio constare dicitur a *Sprengelio* 1), quum nocte placide dormientes surgunt, oculis clausis vel apertis immobilibus tamen e conclavi plerumque egrediantur; qui obstaculis mira ratione vitatis incedant, domorum tecta et alia loca elevatiora velociter, circumspecte tamen et secure scandant; qui scribant, instrumentis musicis canant, sermones faciant; aliaque peragant officia secus sibi haud consueta, tandem vero elapso solito temporis termino in variis vario, rursus decumbant, indormiant, nec expergefacti, quidquam de iis recordantur.

## §. 31.

Homines juniores et temperamenti nervoso-irritabilis, juvenes imprimis et puellas pubescentes, individua adfectionibus hystericis et hypochondriacis, vermibus et obstructionibus abdominalibus, moerore, tri-

---

1) Pathologie III. Thl. 1810. 538. sqq.  
*Sprengel*, instit. medd. I. p. §. 83.

stitia, timore, studiisque intensis, divexata, frequentius infestat, et observatur is status frequentius in virili quam in feminino sexu.

### §. 32.

Multa quidem de hypnobatis a scriptoribus variis referuntur mirabilia et fabulosa; ea tamen quae recentiores collegerunt fide dignissimi observatores, manifeste probant, alium plane reddi hominem in hoc statu, et in alia tum existere relatione cum rebus externis. Exaltatur enim coenesthesia adeo, ut sensibus cerebralibus veluti insopitis corporeus sensus eorum ferat munera, externas recipiat impressiones.

### §. 33.

Cum Somnambulismi accessiones sub certis lunae phasibus, et quidem plenilunii tempore plurimum redeant, cum eclipsi lunae, in periodum hujus adfectionis incidens, interrumpere insultum soleat, cumque individua huic adfectioni obnoxia lunam vigilantes quoque intueri ament, et fateantur, ubi in magneticum incidunt somnum, amore se aliquo compelli et attrahi a luna: cl. *Burdach* causam hujus mali ab influxu peculiari, quam luna in hypnobatas exserat, repetendam docet et compellat hunc statum Selenogamiam.

## §. 34.

Cui momento aetiologico et nos adhaeremus, monentes tamen et ad ipsum periodicum vitae decursum rationemque noctis tempore obtinentem respiciendum esse. Hoc enim tempore vitalitate ad reproductionem et quo haec regitur gangliosum nervorum systema, mere restricta, res facile eo pervenire potest, ut praesente dispositione recipiendi et reagendi potestas seu organica sensibilitas, in ganglioso systemate ultra sphaeram adaucta, sensibus cerebralibus vel omnibus vel singulis magis aut minus hebetatis, novaque inter res externas relatione evoluta malum hoc exorietur. Quod nobis status intermedius inter somnum et vigiliam, exaltata, per lunae influxum praesente dispositione, sensibilitate organica determinatus esse videtur, pro parte in periodico vitae decursu radicans.

## §. 35.

Incubus quo ad sedem simillimus somnambulismo, somni terribili specie media nocte terret, cum incumbentis pectori molis sensu et suffocationis metu, simul prorsus impedita musculorum voluntariorum, sensuum vitaeque superioris universae exercitatione, quum aucta contra sive potius alienata plexus solaris nervorumque vicinorum actio esse videa-

tur. Hypochondriacum malum atque hystericum, ex eodem fonte maximam partem derivandum ad noctem quoque efflerari solet. Tussim convulsivam, Asthma Millari, asthma adulatorum noctu plerimque incipi et exasperare cuilibet practicum notum.

### §. 36.

Veniunt porro hic commemorandae coenaestheseos perturbationes noctu fere semper ingravescentes, quem sensum recte *Bichatus* organicam sensibilitatem nuncupavit, atque inferiori vitae vindicavit, quoniam proprii corporis limitibus continetur, atque hujus tantummodo saluti et commodis prospicit. Hunc vero sensum, quam vitae inferioris stabilivimus, legem constanter sequi omnis generis dolores demonstrant per noctem aegrotantes vehementius lacessentes; testes sunt podagrici, arthritici, rheumatici et imprimis osteocopi illi a lue venerea profecti, per ipsum cranium, imprimis autem frontem, cervicem, scapulas, femora et brachia potissimum per tibias discurrentes, quasi compages tabulata horum scinderetur vel terebretur, et misere per vesperam et noctem syphiliticos dilacerantes, ut taceam de medorrhoea et chorda venerea, non minus etiam noctu vehementius saeviente.

## §. 37.

Progrediendum nunc est ad vasorum si-  
ve irritabilitatis morbos tum acutos tum chro-  
nicos; febres innuo et conjunctas cum hisce  
morbosas singulorum plerumque organorum  
affectiones, exanthemata, inflammationes ect.  
porro profluvia cruenta serosa et mucosa,  
scorbutum.

## §. 38.

De febribus vix opus est ut verba facia-  
mus; eas enim ad vesperam exacerbari inde  
ab *Hippocrate* intellexerunt medici; modo  
id adjiciendum videtur, catarrhales, arthri-  
ticas, rheumaticas et dysenteriam praepri-  
mis, quibus nimirum cutanea functio magno-  
pere perturbatur, prae reliquis huic noctis  
efficaciae obnoxias esse, ob aëris scilicet humi-  
ditatem et indolem superius commemoratam,  
nulli parti magis, quam cuti, perse jam hisce  
in morbis maxime irritabili, molestam.

## §. 39.

De scorbuto, nautarum navigantiumque  
imprimis tortore ac carnifice saevissimo prae-  
clare agit *Sennertus*, cujus haec ipsa verba  
apponere licebit: „Crurum dolor in scorbu-  
to est obtusus aliquomodo tensivus plerum-  
que osteocopus, qualis in quartannis, et

ipso morbo gallico deprehenditur, et praecipue circa vesperam et sub nocte affligit, et adeo ingravescit aliquando, ut ne horam quidem in lecto aegri quiescere possint, et cura sibi quasi malleo contundi conquerantur, de lectis exsiliant et insanorum ad instar circumvagantur" 1).

#### §. 40.

Profluvia cruenta, haemorrhoides atque hydropes eandem experiuntur vim noctis iniquam 2); de catarrhis et medorrhoea jam diximus, et gonorrhoeam, quae proprie sic dicenda est, huc pertinere, pollutionis nocturnae ipsum nomen indicat.

#### §. 41.

Scabiei, cujus pruritus adeo molestus fuisse, ut ad autochirias consilium animum induxerit, refert *Wedelius* 3), et omnium exanthematum importunitatem noctu gravio-rem esse *Testa* 4) contendit: „Auf Hautaus-schläge, auf den Rothlauf, auf andere ähn-liche Krankheiten macht die Nachtzeit eben-falls einen nachtheiligen Eindruck; die Kran-ken, die damit behaftet sind, fühlen sich da-

1) Tractatus de scorbuto cap. IX. p. 70.

2) Testa I. I. pag. 299. sqq.

3) Pathologia med. dogmat. pag. 752.

4) I. I. pag. 300. sqq.



her den Tag über weit besser etc.;" idemque de vitiis chronicis ad unum omnibus asseverat. „So verhält es sich ziemlich auch bey den übrigen chronischen Krankheiten; diese nehmen ebenfalls imHerbste, mit welchem schon die Alten die Nacht verglichen, zu."

#### §. 42.

Denique veniamus ad organicos morbos, qui, quamvis et ipsi nervorum vasorumque perversitati originem debeant, tamen dynamicae rationis vitiositate minus, quam conformationis partium et structurae depravatione manifestantur. Praeclarum ejus rei exemplum relictis reliquis habemus in morbis, qui, quoniam ipsam organorum compagem et figuram destruunt, dicuntur phthisici, praesertim in illa tabe, pulmonali, quae, licet etiam per diem aegrotos male habeat, eo tamen decurso vehementius insurgit, et saevas suas nocendi vires ad primam usque lucem latius explicat, ut miseri vel plane non, vel non nisi viribus valde fractis ad somnum admittantur; quidquid enim earum superest, tussis atrocitas, respirationis difficultas, motuum febrilium exaestuatio, sudoris profusio demolitur.

## §. 43.

Vulnera quoque cujusvis generis, ulcera et inflammationes cum febris inde exortis dolorum exacerbatione noctes taediosas multoque graviores reddere solent. Vermes ipsi, praesertim exiles istae ascarides in abditis licet intestinorum latibulis nidulantes, vespertinam tamen et nocturnam corporis mutationem gravius ac vividius sentire et insurgentes molestias graviores excitare, ipsi *Hippocrati* jam notum erat. Praestat autem hic audire ill. *L. B. van Swieten*, cujus quippe gravissima auctoritas, quemvis dubitantem, perfacile trahet in assensum. Ita vero ille agit. „Quae veteres de ascaridibus dixerunt hodie etiam observantur. *Hippocrates* notat, ascarides vespere imprimis molestas esse, idem saepius observavi.” *Celb. Bianchi* narrat de amico suo, quod quotidie, ab hora nona vespertina, ad decimam, per plures annos, molestam adeo titillationem sentiret ab ascaridibus, ut nullis negotiis vacare posset ibo tempore.

## §. 44.

Tandem hic commemorare oportebit morborum acutorum exacerbationem crisin praecedentem. Solet enim proxima semper vespera, una cum ipsa nocte, quae in mor-

bis acutis, singulos dies criticos iminentes praecedit, molestissima imprimis esse ac moestissima, ita ut misserimi tum aegrotantes saepius veluti animam agere videantur; secundum illum *Hippocratis* aphorismum, „quibus crisis fit, his nox ante exacerbationem admodum intollerabilis est. Sed audiamus hic *Galenum* 1), dira haec duraque symptomata ipsam crisim, circa vesperam, ac sequentem noctem antecedentia accurate describentem et vivis quasi ac spirantibus coloribus depingentem.” Nam anxietates, vigiliae, dementiae, graves somni, respirationes difficiles, vertigines, sensuum difficultates, dolores capitis, colli, stomachi, et multorum aliorum membrorum: nonnullis vero aurium sonitus et variae ante oculos apparent imagines, et lacrimae involuntariae effluunt, et urina retinetur, et labrum agitur aut aliud aliquid tremulum fit; oblitio praeterea et praesentium ignorantia et vehemens rigor accedit, et plurimum accessio consuetam anticipat horam, et multus aestus sitisque inexpugnabilis sequitur,

§. 45.

Haec fere sunt, quae de morbis vespere et noctu ingravescentibus propria observa-

---

1) L. III. de cris cap. 2. pag. 429. et cap. 5. p. 437.

tione et auctorum testimoniis comprobata novimus, quantumvis manca et a tirone conscripta, atque accuratiore ad gravissimam hanc rem, neglectam hactenus, animi adversione magnopere augenda, tamen idonea ex nostra opinione ad tuendam, quam proposuimus supra de nocturno morborum decursu, sententiam.

---



## A u c t o r e s.

---

- Crause* de diurnis et nocturnis morborum exacerbationibus dissert. Jena, 1709.
- Phil. J. Hartmann* resp. *Geo. Clem. Heym* de noct. plur. morb. exacerbatione. Helmstad., 1763. 4.
- Fried. C. Medicus* Geschichte Periode haltender Krankheiten. II. B. Karlsruhe, 1764. II. editio i. 1794.
- M. Guil. de Neufville*, diss. de indole morbr. periodica ex laebe qualicunque viscerum hypochondriacorum derivanda. Gött., 1784.
- D. W. Trillerus* de vespertina morborum exacerbatione v. e. opus med. Volum III. pag. 177. Francofurt, 1772.
- A. Jos. Testa*, de vitalibus periodis aegrotantium et sanorum. II. Vol. Lond., 1787. edit. germ. Lipsiae, 1790.
- Autenrieth*, de natura morborum periodica. Tübing., 1806.
- Wilh. Godof. Plouquet* resp. *J. P. Gaubium* diss. de morb. period. Tübing., 1783. 8.
- A. M. Wallenberg*, de rhythmici in morbis epiphania. Heidelberg, 1809.
- Park*, inquiry into the laws of animal life Cambridge, 1813.
- Virey*, Ephemerides de la vie humaine, ou recherches sur la revolution journalière et la periodicité de ses phénomènes. Paris, 1814.
-

# Theses defendendae.

---

## I.

Certus dies adsignari nequit quo ossificationis punctum exordiat.

## II.

A primarum viarum adfectione omne genus symptomatum oriri potest.

## III.

Est in vita typus quotidianus, menstrus et annuus.

## IV.

Annus eundem habet circuitum morborum qualem ipse habet dies morbi.

## V.

Praesente debilitate vera evacuationes manifeste criticae accedere possunt.

## VI.

Diagnosis morborum in infantibus multo difficilior, quam in adultis, sed cura faciliior.

## VII.

Morbos aetatis infantilis inter et senilis similitudo intercedit, hinc simili ratione tractandi.

## VIII.

Longis morbis senectus acutis adolescentia magis patet.

**IX.**

Funiculus umbilicalis collo circumvolutus gravem sistit hydrocephali causam.

**X.**

Accellerandum partum praevia placenta non semper indicat.

**XI.**

Lentus morborum decursus momentum sistit instatuenda prognosi haud spernendum.

**XII.**

Labor et paupertas optimum podagrae medicamentum.

**XIII.**

Color terreus in typho ab adfectione hepatis dependet.

**XIV.**

Circa puris generationem, dolores et febris magis accedunt quam ipsa facta.

**XV.**

In colica pictouum drastica sinistro cum eventu propinantur, ubi oleosa et narcotica omnibus palmam praeripiunt.

**XVI.**

Febrim convulsioni supervenire melius est quam convulsionem febrim.

**XVII.**

Exacerbationes morborum subinde in mutationibus atmosphaerae radicatae perpe-  
re medicamentis aut errore diaetethico ad-  
scribuntur.

**XVIII.**

Ille plures sanat, in quem multi confidunt.

---